

Deus, qui populis tuis et indulgentiâ consulis, et amore dominaris : da Spiritum sapientiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna Pastorum. Per Dominum.... in unitate ejusdem.... R. Amen.

Post hæc Pontifex ascendit ad planum altaris, imponit incensum in thuribulum; deinde benedicit Diacono, qui cantat Evangelium, ut heri.

Sequentia sancti Evangelii secundum

Matthæum. c. 18.

In illo tempore : dixit Jesus discipulis suis : Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum : Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo. Iterum dico vobis : quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit ; Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ? usque septies ? Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies ; sed usque septuagies septies.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex genuflexus, incipit hymnum : *Veni Creator*.

Expleto hymno, omnes sedent in silentio ; tunc Pontifex Synodum alloquitur, si velit.

Post Allocutionem, Promotores requirunt, his verbis, promulgationem Decretorum, si quæ sint per Synodum approbanda.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Decreta, in novissima Congregatione sancita, in hac tertia et ultima Diæ-